Vocamur. Sic Vua calcibus tunditur, et in Vini ſaporem lignatur; ſic oliua contuſionibus expreſſa ſuam amuricam deſerit; et in Olei liquorem pingueſcit: Sic per trituram areæ grana à paleis ſeparantur, et in horreum purgata perueniunt: Sic ſaxum conteritur, et Ignis ardor, qui incluſus fuerat, excutitur.

Quodſi etiam quæ de quapiam arbore fa[r]guntur, Vera ſunt, quod nimirum excisa magis germinet, et contra ferrum acrius decertet et ſi quid mirabilius in re admirabiliori dicere oportet, ipſa morte Viuat, et abſciſſa repullulet, nec non conſumpta augeatur, manifeſtò certe tale quid videtur eſſe Æger, qui per ægritudines, et Morbos clareſcit, Virtutis Materiam facit, atque in aduerſis gloriatur, triumphat.

Quare auditores ſpectatiſſ.

ſi minaces nautis pelagi fluctus, ſi tempeſtates, atque hyemes agricolis, ſi Vulnera, cædesque militibus, ſi grauiſſimi ictus, plagæque pugilibus leues videntur, atque tolerabiles ſunt propter ſpem temporalium, ac pereuntium.

e-codices

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20114r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20114r)